

ad tempus assumitur ad peragendam curam animarum, et alia officia spiritualia. Vide dicta superius lib. I. tit. XXVIII. *De Officio Vicari.* § 2, n. 45 et 46.

54. *Dantur tamen nonnulli casus, in quibus nomine beneficii ecclesiastici veniunt beneficia manualia. Sic contingit in materia favorabili.* — Altera pars conclusionis, nimium beneficia manualia in nonnullis casibus nomine beneficii ecclesiastici venire, probatur inductione. Sic quippe id contingit in materia favorabili. Fagnanus cit. c. *Ad audientiam.* n. 118, *de Rescript.* postea, n. 120, subjungens, quod distinctionem inter materiam odiosam, et favorabilem, in proposito sæpius probaverit sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum. Hujus exemplum referitur § seq. n. 97 et 98. loquens de pensione, estque applicabile ad beneficium manuale, quod habet clericus minorista, gavisurus proinde privilegio fori.

55. *Ac in dispositionibus editis ob publicam utilitatem.* — Deinde, beneficia manualia continentur in dispositionibus editis ob publicam utilitatem; juxta decisionem Rotæ 26 januar. 1583, in una Aquil. quam citat Flaminus Parisius tract. *De Confidentialibus beneficiis*, quæst. 18, n. 18. Unde quod in illis committatur simonia confidentialis, sicut in cæteris beneficiis, eo quod confidentialia fuerit prohibita ob publicam utilitatem; tradit idem Parisius cit. n. 18 et Pyrrhus Corradus lib. *Praxis Benefic.* cap. vi. n. 286; Garcias, part. I. *de Beneficiis.* cap. II. n. 69.

56. *De consuetudine, ac stylo curiæ romanæ, in impetratione beneficii faciendâ est mentio præhabiti beneficii manualis; et cur?* — Tandem, ut nonnulla alia his similia taceantur, licet beneficia manualia non sint proprie dicta beneficia ecclesiastica, neque nomine *Beneficii* veniant, saltem in materia odiosa: nihilominus de consuetudine, et stylo Curie Romanæ, praxique Cancellariæ apostolicæ observatur, ut ad evitandam subreptionem rescriptorum beneficialium, in impetratione cujuscumque beneficii, faciendâ sit mentio præhabiti beneficii manualis, sive amovibilis ad nutum superioris. Felinus c. *In nostra.* n. 18. *de Rescript.* post Calderinum consil. 9. *de Rescript.*; Menochius *de Arbitrar. Judic.* lib. II. cas. 201. n. 46. citans Rotam, referente Cassiodoro decis. 4. *de Præbend.*; Garcias cit. lib. I. *Beneficiis*, cap. II. n. 80; Pyrrhus Corradus, ubi supra, cap. vi. n. 291; Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 94 et

116. *de Rescript.* citans plures alios, ac Rotam in causa Seguntina, thesaurariæ, 29 april. 1596, coram Orano. E ratio hujus consuetudinis, seu styli Curie Romanæ, videtur esse: Quia non ita facile Papa provideret ei de beneficio, quem novit habere beneficium manuale, aut pensionem auctoritate episcopi sibi constitutam: ac illi, qui nihil habet de fructibus ecclesiasticis, arg. c. *Postulasti.* 27. et c. *In nostra.* 32. et c. *Si proponente.* 42. *de Rescript.* et can. *Clericos.* et can. *Pastor.* 1. quæst. 2. cum similibus.

§ III.

QUID SIT CANONIA, VICARIATUS, COMMENDA, PRÆSTIMONIUM, AC PENSIO: ET AN HEC VENIANT NOMINE BENEFICII ECCLESIASTICI.

57. *Canoniam (vulgo, canonicatus) quid? Præbendæ, et canonicus præbendarius, quis?* — Quæritur I. Quid sit canoniam, et an veniat nomine beneficii? Resp. I. *Canoniam* (vulgo, *Canonicatus*) est jus spirituale, quod provenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, sive canonicum. Ita Innocentius in. c. *cum M.* § *Canonicos.* *de Constitut.*; Calvinus in *Lexico jurid.* §. *Canoniam.* et Nebrissensis in *Vocabular. jurid.* eod. §. *Canoniam* et alii. Nam, si quis simpliciter in canonicum receptus fuerit, antequam redditus canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere *Canoniam*, hoc est canonicatum; nondum vero *Præbendam*. Siquidem præbendâ ulterius importat jus ad percipiendos fructus annuos canonice, sive debitos ex titulo juris canonici. Unde qui habet utrumque, is *canonicus, præbendarius* appellantur, can. *Sancitorum*, dist. 70.

58. *Jus, quod præbet canoniam, in quo consistat?* — Porro jus illud spirituale, quod præbet canoniam, consistit imprimis in jure habendi in choro sedem (vulgo stallum) et vocem in capitulo. Quanquam vox in capitulo, juxta concilium Tridentinum, sess. 22. cap. IV *de Reform.* non concedatur, nisi habentibus sacrum ordinem subdiaconatus: imo ex consuetudine plurium ecclesiarum tum cathedralium, tum collegiarum, tunc primum concedi soleat, quando quis absolvit residentiam primi anni. Engel, h. t. n. 1. vel etiam actu jam habet præbendam, fruendo videlicet redditibus sui canonicatus. Circa quod proinde attendantur particulares singularum

ecclesiarum constitutiones, et consuetudines laudabiles.

59. *Canonico, quamprimum facultas se obtulerit, debet conferri præbendâ.* — Deinde illud jus spirituale, importatum per canoniam, consistit in hoc, ut quamprimum facultas sese obtulerit, canonico eadem legitime obtinenti etiam conferatur præbendâ, seu competens portio fructuum canonicalium. Textus est in c. *Relatum.* 9. h. t. ibi: « Quia non est congruum, ut præbendâ (vacante, vel proxime vacatura) careat, qui in canonicum noscitur esse receptus. » Concordat c. *Dilectus.* 19. eod. et c. *Cum M.* 9. *de Constitut.* cum similibus.

60. *Canoniam sine præbendâ an et quando dari possit?* — Nec dicas. Si congruum non est, ut præbendâ careat, qui est receptus in canonicum; ergo hoc ipso nequit dari simplex canoniam. Ut quid igitur de ipsa inutiliter fit mentio? Resp. neg. seq. saltem loquendo in casu, quo necdum suppetit facultas omnibus in canonicos receptis conferendi Præbendam, seu redditus canonicales ob horum modicitatem. Tunc posse dari canoniam sine præbendâ, aperte convincunt jura proxime citata, utpote de talibus casibus loquentia: dummodo cæteroquin cesset omnis fraus, atque pactio iniqua vel simoniaca. Qualis simoniaca pactio foret, si quis ex cupiditate habendi canonicatum, renuntiaret juri petendi præbendam: sic enim remitteretur jus temporale sibi competens ad percipiendos redditus, ut obtineretur spirituale, nempe canonicatus; quæ foret vera pactio simoniaca, ut c. *Per tuas nobis.* 37. *de Simonia.* Alioquin vero « Jus non impugnat, ut quis sit canonicus sine præbendâ, si alias potest sustentari, imo laudat; » prout loquitur Abbas c. *Cum M.* n. 16, et 19. *de Constitut.* Ea addita ratione: quia utile est Ecclesiis, habere plures consiliarios, et defensores, arg. can. *Obeuntibus* dist. 63. Id ipsum comprobatur antiqua, receptaque praxis plurium Ecclesiarum, tum cathedralium, tum collegiarum, in quibus dantur canonici habentes solam canoniam absque præbendâ, et vocem in capitulo: prout simile quid antiquitus fuisse practicum, legitur in c. *Cum M.* 9. *de Constitut.* et c. *Relatum.* 9. *de Præbend.* et c. *Dilectus.* 19. eod.

61. *Solvitur instantia contra simplicem canoniam.* — Dices. Hæc praxis repugnat concilio generali, relato in c. *Nulla.* 2. *de Concess. Præbend.* et c. *Detestanda.* eod. in 6. ubi re-

probatur quævis collatio, vel promissio Beneficii vacaturi; ergo. Respondet Glossa in c. *Dilectus.* 19. §. *Illicito.* in addit. h. t. ibi reprobari solummodo receptionem ad vacaturas (hoc est, promissionem beneficiorum in posterum vacaturorum) non vero simplicem receptionem ad jus canonice. Quod intellige, dummodo sic receptis ad jus canonice, postea conferatur etiam præbendâ, seu actualis fructuum perceptio, quamprimum se facultas obtulerit: prout amplius declarabitur infra tit. VIII. *De Concessione præbendæ.* § 2. n. 23. 26. 28. et seqq. ADNOTATIO XLIX.)

62. *Canoniam sub expectatione præbendæ consecutus, stricte loquendo non censetur habere beneficium.* — Resp. II. Canoniam sub expectatione præbendæ consecutus, proprie ac stricte loquendo non censetur habere beneficium. Ita Abbas c. *In nostra.* 32. n. 1; et Layman ibid. n. 1. *de Rescript.*; Engel h. t. n. 1. et alii, contra Lud. Romanum consil. 447. et annotationem ad Abbatem loc cit. §. *Ego puto.* Conclusio nostra desumitur ex cit. c. *In nostra.* *de Rescript.* ubi de receptis per litteras apostolicas in canonicos, dum præbendam nondum abent, sed primum expectant, dicitur, quod « nondum in eis (ecclesiis) ecclesiasticum beneficium sint consecuti. » Id ipsum confirmatur ex ipsamet beneficii ecclesiastici definitione, qua dicitur esse « jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale, » etc. Quale jus nondum importat simplex canoniam. Et sic potius (inquit Abbas cit. n. 1.) ipsa præbendâ, quam jus canonice, vocatur *Beneficium ecclesiasticum.* Quinimo canonicus sine præbendâ, dicitur *Canonicus in herba*: prout loquitur Additio ad Abbatem, ubi supra, §. *Sine præbendâ*, citans Joan. Andream in. c. *Relatum.* 9. et c. *Dilectus.* 19. h. t.

63. *Is tamen, si rescriptum pro assecutione beneficii alterius Ecclesiæ impetrare velit, tenetur mentionem facere præhabiti canonice, et cur?* — Resp. III. Nihilominus simpliciter receptus in canonicum cum expectatione præbendæ, si alius litteras a Papa impetrare velit pro assecutione beneficii alterius ecclesiæ tenetur in sua supplicatione expressam mentionem facere de præhabita simplici canoniam sua: alioquin rescriptum nullam istius mentionem faciens censetur nullum, et subreptitium. Ita textus notabilis in cit. c. *In nostra.* 32. *de Rescript.* ubi Summarium breviter sic loquitur: « Receptus per litteras apostolicas, licet præbendam expectet, per

alias litteras hoc supprimentes in alia ecclesia recipi non debet: » atque amplius tradit Glossa ibid. *ŷ. Mentionem.* et Abbas n. 1 et 2. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. allegans alios: et sequitur Layman d. c. *In nostra.* n. 2 et 3. et Pirhing. n. 70. *de Rescript.* Accedit ratio: quia canoniam præbet jus ad rem, respectu præbendæ in posterum percipiendæ; quinimo propter jus canoniam, in brevi quis beneficium, ipsamque præbendam consecuturus est: ac proinde propter bonas litteras apostolicas canoniam conferentes, consequeretur quis in brevi duplex beneficium, proprie dictum, una cum præbenda seu fructibus utriusque. Atqui Papa non intendit ullo modo eisdem providere de pluribus beneficiis, nisi istud exprimat; ut c. *Cum adeo.* 17. *de Rescript.* etc. *Cum teneamur.* 6. h. t. Etiam si prius beneficium foret quantumcunque modicum, c. *Si motu.* 23. h. t. in 6. ergo.

64. *Simplex canoniam præbet jus ad beneficium postea consequendum.* — Unde non obstat, quod simplex canoniam non sit beneficium strictè loquendo. Quia saltem præbet jus ad beneficium proprie dictum postea consequendum: unde necessario debet exprimi in impetratione rescripti ad aliud beneficium, ne alioquin quis consequeretur a Papa duplex beneficium non facta mentione de priori; contra jura proxime allegata, et contra reg. 84. juris in 6. « Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti: » puta, ad acquisitionem secundi beneficii mediantibus litteris Apostolicis, non facta mentione de priori.

65. *Injuste spoliatus suo beneficio, tenetur in impetratione alterius de eo facere mentionem.* — Addit Abbas cit. c. *In nostra.* n. 10. et Layman ibid. n. 3. *de Rescript.* quod etiam ille, qui injuste spoliatus fuit suo beneficio, teneatur in impetratione alterius de eo facere mentionem. Rationem dant, tum quia per injustam spoliationem non perdit quis titulum beneficii, sed solummodo possessionem ejus; ut c. *Conquerente.* 7. *de Restitut. spoliat.* juncta reg. 15. ff. de reg. jur. « qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. » Tum quia juxta cit. c. *In nostra.* *de Rescript.* in impetratione litterarum Papalium ab beneficia, debet fieri mentio de jure quæsito ad rem respectu alterius beneficii: ergo etiam, et quidem a fortiori, debet fieri mentio de jure quæsito in re, seu in beneficio, quo postea quis injuste fuit spoliatus.

66. *Vicarius Ecclesiæ, quis?* — Quæritur III. Quid dicendum sit de vicaria, et capellania; et an sit de vicaria, et capellania; et an sit beneficium proprie dictum? Ubi prænotandum, quod *Vicarius* ecclesiæ dicatur presbyter ille, qui vice principalis rectoris deservit ecclesiæ: ut si ecclesia, seu parochia (juxta formam concilii Tridentini, sess. 7. cap. vii. *de Reform.* et sess. 24. cap. xiii et xv. *de Reform.*) ecclesiæ cathedrali, capitulo, monasterio, aut aliis piis locis perpetuo incorporata fuit; tunc presbyter, qui una cum assignatione competentis portionis fructuum dicti beneficii, illuc ponitur ad peragendum necessarium ecclesiæ, seu parochiæ servitium ecclesiasticum, proprie non dicitur *Parochus*, seu *Vicarius*, seu habere *Vicariam*. Quo prænotato.

67. *Vicaria alia temporalis, alia perpetua, sicut et vicarius Ecclesiæ?* — Resp. I. *Vicaria alia est temporalis*, quando nimirum vicarii sunt solum ad certum tempus destinati, vel alias ad nutum amovibiles. Alia *vicaria est perpetua*, quæ confertur cum canonica institutione, seu investitura, ac erectione tituli vicariæ. Unde et *Vicarii* in eisdem instituti, dicuntur *perpetui* habentque verum titulum; atque idcirco semel canonice instituti, nequeunt amplius amoveri, vel portione sua privari: nisi forsitan aliquid committant dignum depositione, aut privatione beneficii, c. *Ad hæc.* 3. *de Offic. vicarii.*

68. *Vicaria temporalis non est proprie dictum beneficium, bene tamen vicaria perpetua.* — Resp. II. *Vicariæ* duntaxat temporales non sunt beneficia proprie dicta, seu de quibus sacri canones loqui solent: cum de natura beneficii proprie dicti sit, ut institutum perpetuo duret, can. *Sanctorum.* dist. 70. junctis dictis supra. § 1. n. 8. et 9. atque canonice collatum amplius auferri non possit, nisi in casibus a jure permissis. Secus dicendum de vicariis perpetuis: hæ enim æquiparantur beneficiis, et appellatione beneficiorum veniunt, per textum expressum in c. *Postulasti.* 27. *de Rescriptis*, ibi: « Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ vicariæ proventibus est provisum, » etc. ac notat Glossa ibid. *ŷ. Beneficium.* et communis doctorum.

69. *Vicarii perpetui Ecclesiarum, in pluribus æquiparantur parochiis.* — Quinimo vicarii perpetui ecclesiarum parochialium in pluribus æquiparatur ipsis parochiis, juxta textum expressum in. *Clem. un. de Offic. vicarii*, ibi:

« Quæ de Ecclesiis curam animarum habentibus, per receptionem aliarum similium amittendis: ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium; et de eorum ætate, a jure statuta noscuntur: in perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis, et assumptis ad eas, volumus observari. » Hæc ibi. Verum de hoc vide dicta superius lib. I. tit. XIV. *De Ætate, et qualitate, et ordine præficiendorum.* n. 29. 30. et seqq.

70. *In beneficiis curatis, quæ sunt perpetuo unita cathedrali, vel collegiata ecclesiæ, vel monasterio, regulariter constituitur vicarius perpetuus. Ex multiplici mutatione rectorum, Ecclesia patitur detrimentum.* — Porro in beneficiis ecclesiasticis curatis, quæ sunt perpetuo unita cuipiam cathedrali, collegiata, seu alteri ecclesiæ, aut monasterio, regulariter solet constitui vicarius perpetuus cum assignatione congruæ portionis fructuum, pro animarum cura debite peragenda: nam ex multiplici mutatione rectorum, non modicum ecclesia recipit detrimentum. Rota decis. 24. n. 1. ante fin. *de Præbend. in novis*; Gonzalez ad reg. 8. *Cancell. gloss.* 6. n. 206. Quod intellige conformiter concilio Tridentino, sess. 7. cap. vii. *de Reform.* ubi istud limitatur illis verbis: « Nisi ipsis ordinariis, pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur. » Insuper dari nonnullos casus, in quibus nequit episcopus constituere vicarium perpetuum, jam dictum est supra cit. lib. I. tit. XXVIII, *de Officis vicarii*, § 2. n. 28. in quo paragrapho plura habentur de vicariis perpetuis, ac temporalibus, ibi lem videnda.

71. *Capellania, quid, et an veniat nomine beneficii?* — Resp. III. Loquendo nunc de capellania (hoc est, de beneficio simplici fundato in capella, seu ecclesia quapiam cum auctoritate, atque consensu episcopi) si hæc fuerit perpetua, et concessa in titulum, venit nomine beneficii proprie dicti: alias secus; demptis nonnullis casibus, paulo superius n. 54. 55. et 56. jam expressis, atque servata proportione huc applicandis. Unde Fagnanus c. *Ad audientiam.* n. 120. *de Rescript.* non immerito dicit, « Capellaniam desinere esse beneficium, si ex perpetua fiat ad nutum amovibilis. »

72. *Capellania erecta sine auctoritate episcopi nullo modo et beneficium ecclesiasticum. Nec est quid spirituale, sed duntaxat temporale: adeo, ut pactum circa eam interveniens, non sit simoniacum.* — Additur notanter, « cum

auctoritate, atque consensu episcopi. » Nam si aliqua capellania erigeretur, seu fundaretur sine auctoritate episcopi, vel alterius superioris ecclesiastici, nullo modo ea foret beneficium ecclesiasticum; sed duntaxat pia quædam donatio, vel legatum pium, juxta dicta superius n. 14. et seqq. Adeo quidem, ut in talibus capellaniis Episcopus non haberet jus instituendi, vel visitandi, nec aliud jus diocesanum. Gonzalez ad reg. 8. *Cancell. gloss.* 5. n. 35. post Parisium consil. 34. n. 9. et 11. ac seqq. lib. IV. Et si ratione talis capellaniæ interveniat pactum absque auctoritate superioris, puta Papæ, istud non erit simoniacum: siquidem capellania illa esset duntaxat quid laicale, et temporale, juxta superius dicta n. 15. et 16. non vero beneficium ecclesiasticum, neque aliquid spirituale auctoritate episcopi constitutum. Rota decis. 365. n. 2. part. II. *Divers.* Gonzalez cit. *Gloss.* 5. n. 25. ad propositum referens notabilem casum, in cujus decisione per tres conformes sententias ita judicatum fuit.

73. *Commenda et commendatarius, quid?* — Quæritur III. Quid sit *Commenda.* et an beneficium proprie dictum? Resp. I. cum Glossa in c. *Nemo.* *ŷ. Commendare. de Election.* in 6. quod commenda sit custodia Ecclesiæ alicui commissa. Unde *Commendatarius* dicitur ille, qui accepit Ecclesiam in commendam, seu custodiam ejusmodi.

74. *Olim commendæ dabantur ab episcopis, et ad sex menses; nunc solent esse perpetuæ, et a solo Papa conferri.* — Et olim quidem commendæ ad sex menses, et non ultra, in Ecclesiis curatis pro earumdem evidenti necessitate (puta, quando vacarunt) aut utilitate fieri poterant ab ipsismet ordinariis, juxta cit. c. *Nemo. de Election.* in 6. Verum tamen illud de facto, seu post concilium Tridentinum, amplius locum non habet; cum in Ecclesiis curatis vacantibus debeant deputari vicarii, juxta formam a Tridentino concilio, sess. 24. cap. xviii. *de Reform.* assignatam; prout a sacra congregatione decisum refert Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. xviii. n. 36. et Fagnanus in c. *Dudum.* il. 2. n. 44. *de Election.* Hodie etiam commendæ solent esse perpetuæ: et non nisi a Papa conferuntur personis qualificatis, ac bene de Ecclesia meritis, ut ex fructibus beneficii commodius sustentari valeant.

75. *Illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ: commendæ modernæ vero in bonum per-*

sonæ.—Est insuper differentia inter commendas antiquas, seu olim ab episcopis ad sex menses concessas; et inter modernas, seu in perpetuum, et a solo Papa personis bene meritis, et qualificatis conferri solitas: quod illæ principaliter fiebant in bonum Ecclesiæ, ut interim beneficium a commendatario administraretur, donec vector idoneus fuisset institutus: quod ipsum nunc per vicarium, cum congrua fructuum portionis assignatione constitutum præstatur, juxta decretum concilii Tridentini cit. sess. 24. cap. XVIII. de Reform. Commendæ vero nostri temporis, solum a Summo Pontifice in perpetuum concessæ, non fiunt principaliter in favorem Ecclesiæ (quinimo hæ graviter lædunt monasteria tam in temporalibus, quam spiritualibus; uti notat Fagnanus c. *Cum ad nostram*. n. 14. de Election.) sed conceduntur principaliter in favorem personæ, seu commendatarii, ut videlicet ex fructibus ejus commodius sustentari valeat.

76. *Commendatarius olim fructus non faciebat suos: secus de facto; et cur?* — Deinde commendatarius olim fructus non faciebat suos: quia erat tantum custos Ecclesiæ sibi commendatæ, bonorumque ipsius: unde non habebat jus in Ecclesia, neque in fructibus ejus, nisi ad colligendum, et gubernandum, et providendum sibi ac ministris, et quod supererat, in utilitatem Ecclesiæ convertendum; uti notat Glossa cit. c. *Nemo*. §. *Commendare*. de Election. in 6. Secus est in commendis modernis perpetuis, et a Papa concessis: hæ enim ideo inventæ sunt, ut ii, qui sunt inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica in titulum (qui est modus ordinarius, et legitimus obtinendi beneficia) efficerentur habiles intuitu meritorum suorum ad ea obtinenda per modum commendæ (quæ est via extraordinaria, et tacite dispensativa) sicque ex eorum fructibus, quos faciunt suos, valeant commodius sustentari. Fagnanus cit. c. *Cum ad nostram*. n. 5. et 6. de Election.

77. *Commendæ antiquæ non habebant rationem beneficii proprie dicti.* — Resp. II. Commendæ antiquæ, seu quæ olim de jure communi fuerant temporales, atque per ordinarios locorum in Ecclesiæ utilitatem principaliter concedebantur, non habebant rationem beneficii proprie dicti. Ita communis; et ratio est clara, quia commendæ antiquitus permixtæ neque concedebantur in perpetuum, neque jus aliquod respectu Ecclesiæ, aut reddi-

tuum ipsius præbebant, sed meram custodiam: ac proinde definitio beneficii proprie dicti, et n. 6. ac seqq. jam assignata, ipsis nequiquam convenit.

78. *Atque olim uni poterant conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, altera in commendam.* — Unde et antiqui canones, non obstante, quod beneficiorum pluralitas eisdem semper fuerit invisa, permittebant, ut uni possent conferri duæ Ecclesiæ, una in titulum, et altera in commendam. Textus est in can. *Qui plures*. 21. q. 1. et c. *Dudum*. 54. §. *Suggestit*. de Election. ibi: « Cum nullus potuerit plures Ecclesias Parochiales obtinere, nisi una penderet ex altera; vel unam intitulatam, et alteram commendatam haberet, » cum concordantiis.

79. *Commendæ perpetuæ nostri temporis, æquiparantur beneficiis proprie dictis.* — Resp. III. E contra vero commendæ perpetuæ, quales nostro tempore per Papam dantur in utilitatem personæ, habent rationem et effectum tituli, atque æquiparantur beneficiis proprie dictis. Ita colligitur ex concilio Tridentino, sess. 7. cap. II. et IV. et sess. 24. cap. XVII. de Reform. ubi prohibetur quis habere plura « Beneficia, etiam commendata. » Et hoc intellige. etiamsi unum haberet in titulum, et alterum in commendam; prout notat, atque decisum testatur Fagnanus c. *Dudum*. il. 2. n. 37. et seqq. de Election. Accedit ratio: quia commendæ hodiernæ, ex una parte sunt perpetuæ; ex altera vero parte tribuunt jus percipiendi fructus ecclesiasticos propter spirituale officium, sive ob custodiam Ecclesiæ exhibitam; conferunturque auctoritate ecclesiastica, nempe Papali, et quidem in perpetuum: ergo nihil ipsis deest, ad rationem beneficii proprie dicti requisitum.

80. *Præstimonium, quid?* — Quæritur IV. Quid sit præstimonium, et an censeatur esse beneficium? Resp. I. *Præstimonium* vi nominis idem est, ac *Præstans munium*: uti notat Hostiensis c. *Postulasti*. de Rescript. et Menochius, lib. II. de Arbitrar. judic. cas. 201, n. 56, cum aliis. In proposito tamen per *Præstimonium* seu *Portionem præstimoniam*, intelligitur stipendium, quod ab ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet canonicis, vel aliis clericis in vitæ subsidium, præsertim ubi litteris, seu studiis operam impendunt. Menochius, cit. n. 56; Layman, l. IV. *Theol. moral. tract. II. cap. v. n. 5. et 6.* cum aliis.

81. *Præstimonium ex sua institutione non est servitium in Ecclesia habere solent, etc.* — Cæterum hujusmodi præstimonium, ex sua institutione, nullum servitium in Ecclesia habere solent: quamvis, si dentur in titulum per eum beneficii, habeant annexum onus spirituale, recitandi videlicet Horas canonicas. Garcias de Beneficiis, part. I. cap. n. n. 117. citans alios; et Azorius part. II. *Institut. moral.* cap. VII. quæst. 1. vers. *In hac controversia*, dicens, quod « qui præstimonium nunc habent, liberi sint ab onere, obligatione, et præcepto residendi in Ecclesia, quarum sunt præstimonium, ita, ut nec per se, nec per alios in sui locum suffectos, inservire ullo jure cogantur: quod certe horum beneficiorum est proprium. » Hæc ille, postea, quæst. 5. amplius istud declarans.

82. *Si dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, puta, pro tempore studiorum, non sunt beneficium proprie dictum.* — Resp. II. Quando præstimonium, seu præstimoniales portiones dantur duntaxat ad certum tempus in vitæ subsidium, v. g. durante tempore studiorum, non sunt beneficium ecclesiasticum proprie dictum. Ita Menochius, cit. cas. 201. n. 57. et 60; Layman cit. cap. v. n. 5. et 6. citans alios; atque subjungens, hujusmodi præstimoniales portiones non esse « beneficia ecclesiastica, sed mera stipendia. » Azorius, ubi supra, asserens in hoc convenire omnes. Ratio est quæ supra, quia videlicet de ratione beneficii ecclesiastici est, tribuere jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, etc. Atqui tale jus perpetuum non tribuitur per præstimonium temporalia, puta, ad tempus studiorum duntaxat concessa; ergo.

83. *Bene tamen, quando conferuntur in titulum, ac in perpetuum.* — Resp. III. Quod si vero præstimonium conferantur in titulum, atque in perpetuum; ita, ut cum obitu ejus, qui accepit, vacent (prout in Hispaniis communiter dari præstimonium, notat Fagnanus c. *Ad audientiam*. n. 62. de Rescript. et Garcias cit. part. I. cap. I. n. 218.) tunc ea connumerantur inter beneficia proprie dicta. Ita textus cap. ult. de Concession. præbend. in 6. ubi præstimonium aperte connumerantur inter beneficia illis verbis: « Concessione super canonicatibus, dignitatibus, præstimoniis, et aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis. » Nam ista verba non nisi de præstimonium datis in titulum, atque ad perpetuum, intelligi possunt, et debent. Unde

quod hujusmodi præstimonium, sint beneficia proprie dicta (eo præsertim, quod ipsis nihil deficiat ex requisitis ad beneficium ecclesiasticum) tenet Menochius, d. lib. II. de Arbitrar. judic. cas. 201, n. 58. et 59; Azorius, ubi supra, d. cap. VII. quæst. 2; Garcias cit. cap. II. n. 117. allegans plurimos alios: adeo, ut re ipsa hæc sit communis sententia. Et sub data distinctione auctores, qui prima fronte non nihil discordare videntur, facile revocantur ad concordiam.

84. *Pensio ut sic, quid?* — Quæritur V. Quid, et quotuplex sit pensio; et an veniat nomine beneficii ecclesiastici? Resp. I. Pensio ut sic est jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ita Zæsius titul. de Simonia, n. 46, et in re communis. Vel, si pensionem pro ipsamet parte fructuum acceptam describere velis, dicendum est: Pensio est certa portio fructuum, ab aliquo beneficio, vel mensa, ex causa ad tempus, non vero in perpetuum separata. Ita Guillelmus de Monte Lauduno in Repetit. Clement. *Quia regulares*, n. 12. de Supplend. negligent. prælat. Barbosa part. III. *Jur. eccles. univ.* cap. XI. n. 3. subjungens, quod pensio dependeat a proprietate beneficii, sicut ususfructus dependet a proprietate rei.

85. *Dividitur in laicalem et clericalem seu ecclesiasticam.* — Resp. II. Pensio dividitur in laicalem, et clericalem. Ita communis. Et quidem pensio laicalis est, quæ datur ob ministerium temporale, aut aliam temporalem causam; et laico etiam convenire potest, v. g. œconomio Ecclesiæ, cantori, ædituo, et aliis hujusmodi. Pensio clericalis, seu ecclesiastica e contra est, quæ clericis auctoritate superioris ecclesiastici justis de causis constituitur, ipsisque solis competere potest: atque de hac sola nunc sermo est, non de priori seu laicali.

86. *Pensio clericalis est duplex: una, quæ assignatur in titulum beneficii.* — Resp. III. Pensio clericalis subdividitur in duas species. Una est, quæ assignatur in titulum beneficii ecclesiastici: prout accidit, quando ex beneficio pingui, quod caret sufficienti suffragio ministrorum, auctoritate superioris detrahatur certa portio fructuum, et alicui clerico ibidem ministranti conceditur in titulum beneficii perpetui, v. g. perpetuæ vicariæ, arg. c. *Conquerente*. 6. de Cleric. non resident. et notat Abbas cit. c. *Conquerente* n. 4. et 5. Fagnanus c. *Ad audientiam*. n. 41. de Rescript.